DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PARALYSI;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
GULIELMUS DUNCAN,
Hibernus.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.
MDCCCXXII.

GULIELMO STEWART, M. D.

COLLEGII REGII CHIRURGORUM IN HIBERNIA SOCIO,

VALETUDINARII ANTRIMENSIS, APUD *LISBURN* CONSTITUTI

MEDICO PRÆPOSITO;

VIRO DOCTISSIMO, ARTIS PERITISSIMO,

OMNIUM BONARUM DISCIPLINARUM

STUDIOSISSIMO;

OB MULTA BENEFICIA IN SE COLLATA,

HOC OPUSCULUM,

ANIMI MERITO DEVICTI PIGNUS,

INSCRIBIT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PARALYSI.

Auctore Gulielmo Duncan.

PROŒMIUM.

Ut caput inter alia membra corporis, sic morbi ejus inter alios morbos, momento præponderant. Ne cordis quidem mala, utcunque gravia, tanto metu territant, nec tam funesto omine medici conamina relaxant. Rapidi, insperati, nec opinantem adorti hominem, celeriter extinguunt; aut vitam miseram, vix morti anteferendam, diu trahere cogunt. Quinimo eorum minus lethale ge-

nus, spasmorum raptu ingruens, vitam efficit ægre tolerabilem; fatuitatem, melancholiam, vel ipsam maniam sæpe attrahens.

Ex morbis autem capitis *Paralysis* summa medici attentione digna est. Omnibus enim vitæ conditionibus contingere potest; difficillime sanatur, atque haud sine multa diligentia facile iis arcetur, quibus propter aliquam causam specialem impendet. Corporis perinde ac animi dotes corrumpit, atque vires debilitat, mutilum et quasi semianimem hominem relinquens. De obscura ejus attamen singulari pathologia nihil addo, quippe quæ causæ ipsa satis esset cur aliquis hanc morbi in titulum tentaminis sui inauguralis assumet; scilicet, legibus Academiæ Edinburgenæ solennibus pariturus.—His præpositis, de morbi nomine ac definitione pauca, pro more, initio erunt tradenda.

DE PARALYSIS NOMINE ET LOCO NOSOLOGICO.

Vocula Παϱαλύσις, antiquissima est, etiam HIPPOCRATI nota. A παϱὰ, *trans*, et λύω, *solvo*, quasi dicas *trans-solutio*, vel *solutio generalis*, derivatur, quoniam eo morbo plerique musculorum

solvuntur, vel relaxantur. Hoc fere sensu Medicinæ Pater intelligit, nec aliter CELSUS, III. 27. quanquam pariter testetur, veteres auctores partium tantum aliquarum resolutionem Παράλυσιν nominavisse; licet suo tempore et generalis et partialis resolutio nervorum, Paralysis appellaretur. Vox autem apud GALENUM pristinam recipit significationem; atque ut hodie assolet, Apoplexiæ opponitur. Nomen haud perquam significans videtur, sed longorum sæculorum consuetudo hactenus obtinuit, ut melius ei frustra sufficeres.

CULLENUS, hujus ævi nosologus longe clarissimus, Apoplexiam et Paralysin communi nomine Comatis comprehendit, et primum ordinem classis Neurosium constituit. Hactenus utique prudenter egit, quoniam vix aut ne vix quidem hi duo morbi separari possint, utpote quos natura conjunxerit vinculo indissolubili. Paralysin hisce verbis definit:

" *Paralysis.* Motus voluntarii nonnulli tantum imminuti, sæpe cum sopore."

Species I. *P. partialis*, quorundam musculorum tantum.

II. *P. hemiplegica*, alterius corporis lateris.

III. *P. paraplegica*, dimidii corporis transversim sumpti.

IV. *P. venenata*, a potentiis sedantibus externe vel interne adhibitis.

Tremorem idem ait esse, " Artus alternam per itus et reditus frequentes motitationem, atque modo ad Astheniam, modo ad Paralysin, modo etiam ad Convulsionem pertinere."

Has autem quinque paralysis varietates non omnes eadem cura tractare animus est, sed quoniam earum Hemiplegia longe princeps sit, frequentissima simul ac lethalissima, de ea præsertim attingere decrevi. Hæc præterea est quæ vulgo, sub eo vocabulo Paralysis, significatur. Deinceps, igitur, hac de specie agendum est.

DE PARALYSIS HISTORIA.

Omnium morborum qui genus nervosum affligunt, nisi forsitan Convulsionem excipias, nullus est cui spatium ætatis magis latum obnoxium est. A primis annis ad ultimum senium; infantes, pueri, adolescentes, juvenes, viri, senes, omnes Paralysi affici possunt; quanquam in hisce regionibus viros ac senes impetui maxime expositos

esse videatur. Doctissimus FALCONER, qui Bathoniæ diu medicinam fecit, quem ad locum paralytici omnes ac debilitati Angliæ confluere solent, longe inter trigesimum atque quadragesimum annum plures hoc morbo corripi refert. Nimirum ex centum paralyticis, e diariis Nosocomii Bathoniensis, atque eodem quo admissi fuerant ordine excerptis, 13 vigesimum annum nondum attigerant, quorum pauculi minores essent annis decem; inter vigesimum ac trigesimum 12, inter trigesimum ac quadragesimum 36, inter quadragesimum ac quinquagesimum 21, et inter quinquagesimum ac septuagesimum 18, numerati sunt. Idem auctor infantem trimulum narrat, cui paralysis haud ambigue accesserat*.

Attamen inter sexus aliquid discriminis intercedere videtur. Anno salutis nostræ 1776, Paralysi sine causa manifesta laborantium 64 in Valetudinarium Bathoniense admissi sunt; atque ex his 45 masculi, 19 fœminæ. Quin per universum illud nosocomium masculis lecti duplo plures parati stant; hi semper occupantur, triginta sæpe vel quadraginta etiam expectantibus.

* Mem. Med. Soc. Lond. ii. 201.

Fœminarum vero vix aut ne vix quidem unquam omnes usurpantur. Mares igitur quam fœminæ huic malo obnoxiores extant; cujus rei rationem reddere haud erit difficile, quando ad causas prædisponentes perventum erit.

Num quæquam sit orbis terrarum regio quæ præ aliis homines procliviores in hunc affectum facit, minime constat. Verisimile est nostram, propter subitas aëris vicissitudines, cæteris plagis nihil cedere.

Hippocrates, ac omnes fere post Hippocratem, hyemem, ac frigora hiberna paralysi favere putarunt. De vetulis quidem apud plerosque convenit, eos tunc malo maxime occumbere *; sed juniore vel media ætate florentes, nullo non tempore plectuntur, nec hyeme magis quam aliis anni tempestatibus.

Nervorum resolutionis historia in quatuor partes dividatur; scilicet, præludium, impetum, statum, sequelas. De his ordine acturus sum.

Præludia variant quam maxime; sunt enim quibus multis diebus vel etiam mensibus ante accessum, signa monitoria adeo non ambigua fiunt,

* Mem. Med. Soc. Lond. ii. 216.

ut adstantes amicosque, non minus quam hominem ipsum, de morbo veniente terreant. Hæc indicia prænuntia sunt vertigo, somnolentia, dolor capitis, vel alicujus alius partis, ut brachii aut cruris : Hic dolor modo obtusus, modo acutus jaculans est, modo fixus, modo cum anæsthesia vel etiam sensu præter solitum acuto alternans: necnon tinnitus aurium, paracusis, veluti rerum longe sonantium vel stridule clangentium, qualiter tibiæ solent; epistaxis saltem pruritus narium, oculus prominens, conjunctiva ejus rubente; strabismus, muscæ volitantes, amaurosis aut perfecta aut imperfecta, fugax aut permanens, aliquando perpetua; auditus, vel olfactus, vel gustus, similes læsiones; titubatio sive linguæ sive crurum, sive aliorum corporis membrorum; convulsiones musculorum faciei vel palpebrarum; resolutio etiam fugax, ut digitorum linguæ aut oculi musculorum. His rariora sunt animi imbecillitas, mœstitia, hilaritas insolita, iracundia, cogitationum confusio, subsultus tendinum, constipatio alvi, febricula. Alia signa quæ auctoribus enumerantur, ut paralysin antecedentia, magis ad ægrotantis habitum peculiarem quam veram morbi indolem pertinere videntur.

Sæpe quidem nulla ex his signis apparent et æger momento rapitur. Sed utcunque subitus accessus sit, morbus tamen non omni gravitate evolvitur primo impetu, saltem multis exemplis *. Erravit utique FALCONER quando scripsit,—“ omnis quem vidi accessus, atque illud morbo necessario conjungi puto, subitus fuit atque ut credo momentaneus; quando lentus visus constabat, ni fallor, multis repetitis accessibus.” Nihilominus accessus longe sæpius subitus est.

Impetus morbi indicatur sensus vel motus, vel amborum abolitione. In multis exemplis homo cadit, et altero latere convellitur, altero resolvitur; spasmi cito cessant, sed paralysis manet. Mens interea varie afficitur. Sæpius forte mediocriter hebetari apparens, et acumine nonnihil retuso, adhuc ad sermonem communem satis valet. In aliis, nec paucis, facultates ejus pene extinctæ confestim apparent, sic ut de quodam haud male scripserit WILLISIUS, “ vix supra brutum sapere.” Demum adeo non diminuuntur aliis, ut etiam acutiores post paroxysmum evaserint, nec in ipso paroxysmo semper flaccescunt, sæpenumero

---

* ABERCROMBIE, Ed. Med. & Surg. Journ. xv. 10.

prorsus intactæ per spasmos cæterasque naturæ turbelas perstantes. Hæc facies accessus communis est; sed varietates quædam minime silendæ sunt.

Sæpe homo non cadit; sæpe dolorem tantum, vel aliquid intra caput quasi discedere aut rumpi sentit. Nonnullis sopor illico obrepsit, aliis non nisi spatio interposito.

Pulsus cordis et arteriarum modo celerior modo naturalis; nec raro in eo latere, quod statim resolutione afficiendum est, omnino latet *, quod signum quidem haud bene de eventu morbi ominatur. Sanguis aliquando ad caput copiosius dirigi videtur: sed in haud paucis facies natura pallidior visa est, cujus rei nuper nos testes oculati fuimus. Nec semper arteriæ temporales concitantur. Calor vel spiritus inter accessum minus afficitur quam pro insigni totius corporis turbela facile crederes. Si quidem spasmi interea graves sint, vehementius spirat æger, calore quoque aucto, sed nonnunquam imminuto. Ex toto in accessu ejus, sibi valde dissimile est hoc malum; neque facile distingueretur, nisi cum *statu* insequenti medicus componeret.

* ABERCROMBIE, loco citato.

Status alicujus morbi dicitur ea conditio quæ inter accessionis finem, et decessionis originem intercedit, et in paralysi comprehendit evolutionem atque progressionem eorum signorum quæ in paroxysmo jam supra formari dixi. Horum longe præcipua sunt, *motus et sensus diminutio, mentis alienatio, caloris et valetudinis generalis affectiones.*

Mire quidem errant, qui etiam duas primas istas jacturas necessario conjunctas putant. Sæpenumero sensu haudquaquam paralytici orbantur, sed motu solo. Quin iis quibus afficitur sensus non semper diminuitur; subinde enim præter naturam acuitur; saltem ita depravatur, ut ingrati inde sensus vel cruciabiles tantum dolores percipiantur. Fuit cui frigus cum pressione quadam admotum, notionem fervidi caloris gigneret; sine vero pressu aliquo, algidum suum ingenium eidem præbuit. Longe vero sæpius res externæ, etiamsi supra communem corporis humani teporem calentes, frigidæ paralyticis videntur, maxime si motus musculorum ejusdem membri non una perierit. Sensus utique partium, in hoc morbo multum pendet, ab earundem aliis conditionibus, atque plerumque itque reditque pro conditione calo-

ris animalis in parte jam laborante. Post ictum, si calor permanserit, manet quoque sensus; redit idem, si membro resoluto calor arte fuerit restitutus. Sensus autem ita restitutus sæpe valde incertus est, nec tactui ut olim tam utilis. Quæ contingunt, animo notionem dant, quasi inter ea atque pulpam digitorum corium fuerit interpositum; dum iidem homines contactum nihilominus muscæ, vel rei minutissimæ, peracute sentirent. Recte igitur Physiologi inter *tactum* atque *contactum* distinguere solent.

Crebro accidit, quod sensus defectus non latus resolutum sed alterum corripit. Inveniuntur porro, quibus anæsthesia paralysin diu antecedit *, et aut latus immune occupat aut ab hoc ad alterum transit, paralysi ingruente. Exemplum hujusmodi in puella, clarissimus nuper Medicinæ Practicæ Professor Jacobus Gregory narrare solebat: Aliis cum sensu alternat sic ut modo hic, modo anæsthesia dominatur.

Quinimo ipsa motus diminutio, nonnullis creditur, aliquando abest, cum anæsthesia, marcore, et pallore unius corporis lateris subito accedenti-

---

* Med. Chir. Trans. Odier et Vieussens.

bus, qualiter paralyticis fieri solet *. Si tamen aliquis hoc parum cum morbi definitione quadrare contendat, ego quidem rem non urgeo, contentus locupletem citasse auctorem.

Utcunque se habeat hæc res, variat quam maxime in sede graduque: modo alterius lateris musculos occupat, et fronte, naso, lingua, et labiis, linea media accuratissime finitur; exceptis fere musculis qui planum medium transeunt. Aliis autem præter unum latus, musculus etiam adversi lateris vel membrum aliquod laxatur; cujus rei non unicum dedit exemplum Dr Abercrombie loco jamdudum citato. Aliis iterum etiam totum alterutrius lateris non occupat, sed membrum aliquod symmetricum velut crus, brachium, manum, oculum; sæpissime linguam. Hæc eadem resolutio potest esse constans vel fugax, gravis vel levis, vel denique dolore plus minus acuto conjuncta. Sæpe enim post casum membra laxa manent per integram deinceps vitam, nulla facta mutatione; plerisque autem alternat cum aliquo signo redeuntis vigoris, veluti pruritu, dolore tinniente illi

* Falconer, loco citato.

simili quem post nervum aliquem magnum* pressum experiri solemus; calore, sudore, anæsthesia.

Mentis alienatio morbi pars est valde mirabilis; atque si quo morbo discere queamus, unde animi natura, et facultatum cum structura cerebri nexus illustrari possint, hic est qui plurimum lucis adferet. Quamvis enim diversæ sint injuriæ animo cogitanti a paralysi illatæ, certos tamen intra fines limitesque errant. Modo enim et multis exemplis memoriam perire contigit, uti libris medicorum patet et observatione quotidiana videri est: aliis tamen memoria ac omnes animi facultates, equidem valetudo generalis, meliores redditæ sunt†.

Quinimo tam diversis modis deteritur memoria quod nihil mirabilius sit. Plerisque notitia ultimo aut recentissime acquisita aboletur, pari fere ratione ac senibus fatuisque aboleri videtur. Attamen hæc res minime perpetua est, et Paralyticus ille Wepferianus, Teutonicam suam patriam linguam prorsus nequibat, Latinam autem haud ita male legere valebat. Quin res ipsæ bene

---

* Uti popliteum in alterum genu.

‡ Falconer, ut supra.

in memoriam revocantur, nominibus vero oblitis; quod tamen magis ad facilitatem loquendi quam ipsam memoriam pertinere apparet, quum etiam sani voces prolatu difficiliores atque sesquipedales facile obliviscuntur.

Iisdem hominibus obliviosis judicium et imaginatio fere pari passu imminuuntur, sic ut vitæ muneribus non amplius valere putentur. Sæpe quidem medius aliquis gradus apparet, et ægri sermone communi dexteritate haud contemnenda funguntur; sed si legendum aut scribendum sit, ne unam quidem sententiam fortasse nec literam depingere possunt. Aliis pignitia quædam est, at judicium satis pollens, aliis omnes animi facultates restituuntur vigentque, sed loquela penitus suppressa *. Haud paucis fatuitas perfecta, melancholia, etiam mania accedunt; plerumque iracundi medico facile incandescunt, abjurantque.

Partium affectarum tabes affectus est valde incertus. In longo morbo fere semper flaccent musculi, et tactui laxi evadunt, sed neque pro violentia vel etiam duratione mali. Quin identidem videtur casus, nullo marcore notatus etiamsi

* Abercrombie, Ed. Med. & Surg. Journ. xiv.

longus et gravis. Color quoque partis pallet, arteriarum pulsus minuitur, tela cellulosa et adeps resorbentur. Musculi flexores minus debilitari quam extensores dicuntur; nam digiti incurvantur palmam manus versus. Hoc tamen magis obtinet in paralysi partiali vel paraplegia, atque ratio parum manifesta est. Eodem forsitan pertineat ut ægri pondera majora sæpe facile levant, dum motus delicatiores, ut scribendi, peragere nequeant; nam ebrii eodem vitio tenentur. Subinde paralytici pinguescunt. Valetudinis generalis affectiones sæpe nullæ sunt, sæpe ingentes. Multis mors intra paucas post accessum horas supervenit; at longe majori parte laborantium debilitas magna. Animus mœstus fit, despondet, alvus adstricta est, somnolentia urget, vel aliquando pervigilium minus tolerabile. Appetitus minus afficitur, sed aliquando mirum in modum auctus apparet; atque diminutus vitæ finem appropinquare indicat. Membra sæpe tument aqua intercute, præsertim in obesis. Eadem aliquando, in junioribus maxime, sudore madent, aliquando arent.

Propter longum decubitum, partes oppressæ ad gangrænam sæpe vergunt, et in paucis exemplis

hæc accidit, si quando membro resoluto, et motu sanguinis idoneo carente, frigus nimis libere fuerit admissum.

Cum paucis vel pluribus signorum supra descriptorum paralyticus vitam trahere potest; quæ quidem, pro eorundem multitudine vel graviditate, plus minus tolerabilis erit. Vitam finit aut *debilitate*, aut *gangrœna*, aut *apoplexia*, quum lethalis fit. Sæpe quidem bis, ter, quater vel sæpius paralysis renovatur; sed æger nihilominus superstes manet, et alio demum morbo perit.

DE SECTIONE CADAVERIS.

Dolendum est, anatomicorum diligentiam hoc campo non satis exerceri. Non quo complures hujusmodi incisiones memoriæ non traditæ fuerint; abundant utique incisiones; sed quo leviore adhibitæ fuerint cura, quam rei gravitas postulare videtur; nec eo discrimine casuum habito, quod causæ et historiæ varietates necessarium reddunt; sed hæc hactenus.

Calvaria patefacta, sæpe nihil præter solitum in conspectum venit. Totum illud, quodcunque fuit, morbi initium et origo prorsus evanuit.

Aliis sanguis invenitur, aut in ventriculis, aut in basi cranii, aut superficie ejus, vel inter tunicas effusus. Pauculis in solidam massam cerebri, atque inter fibras diffundi invenitur, sic ut cum iisdem fere incorporatum diceres. Aliis exemplis coagulatur, aliis in fluida vel semifluida conditione, intra cistam quasi, vel cavernulam, lympha coagulata factam, subsistit. Verum enimvero multa extant exempla quibus serum abunde effusum apparuit, per omnes nimirum sedes jam supra sanguini attributas. Longe sæpius illud obtinent hemisphærium, quod lateri resoluto contrarium est; sed aliquando illud lateris affecti. Hæc est communis admodum morbi facies in cerebro; sed multa suadent, effusiones istas aquosas effectum, non causam esse paralysis. Sæpe enim profusiones seri ejusmodi, sed multo copiosiores accidunt, nec tamen ulla paralysis subsequitur, atque signorum sævitia nunquam est proportione aquæ effusæ.

Dicenda vero adhuc morbi forma est incisione patefacta. Crebro enim non sanguis, non serum effusum repertum est, sed lympha coagulabilis, cum inflammationis vestigiis. Hæc cum indiciis et historia morbi plerumque bene congruunt, at-

que hinc auctores *paralysin inflammatoriam* * fecere. Morbus est minime infrequens, atque ab alia paralysi differt eo maxime quod lentior sit. Tribus autem modis terminari potest. Namque veram apoplexiam inducendo, vitam sæpe extinguit; alias suppurando, modo abscessum saccatum, modo suppurationem atque ulcerationem diffusam, quam *sphacelismum cerebri* auctores vocant, generat; alias inflammatione subsidente, pars cerebri indurata relinquitur, atque paralysin permanentem constituit. Suppuratio ea forma est, quæ vitam frequentissime finit. Haud raro in parte aliqua, ut brachio, paralysis incipit, et per totum corpus, vel alterum ejus latus gradatim obrepit †.

Nonnunquam cerebro paralyticorum tumores strumosi dicti, concretiones, ulcera detecta sunt; sive causa, sive effectu morbi exorta, incertum.

Denique haud paucis cerebrum omni vitio vacuum reperitur, sed medulla spinalis variis modis corrupta. Hæc *inflammata, sero obruta, materia gelatinosa involuta, indurata, membranis incrassatis, in parte quadam destructa, sanguine*

---

* Portal. Abercrombie, loco citato.

† Hill's Cases of Surgery, p. 120.

effuso inundata, tumoribus, hydatidibus, fungis obsita, genuinam hemiplegiam nonnullis exemplis, sæpius vero paraplegiam, vel paralysin partialem genuit.

Hæc fere sunt quæ scalpelli ope compertum habemus. Cæteræ corporis partes nihil perpetuum ostendunt, ac plerumque in hemiplegia, in colore et substantia musculorum diminutis, solummodo e sanitate eos deflexisse videas. Paralysis partialis musculos albos, contractos, exsangues exhibet *.

DE CAUSIS.

Causæ prædisponentes in generales ac speciales diduci possunt. Ad *generales* pertinent, plenus habitus corporis, vel leucophlegmaticum, temperamentum sanguineum, præsertim si pectore lato, collo brevi, capite magno copulatum; iguavia, victus plenus lautusque, vini aut liquorum fermentatorum, stimulantium usus, mentis exercitatio vehemens ac diuturna, evacuationum solitarum suppressio, veneris abusus, præsertim in corpore senili.

---

* J. Hunter, An. Œcon.

Ad *speciales* attinent, compaginis vasculorum cerebri vitium, aëris atque tempestatum varietates quædam annuæ in organa corporis nonnulla agere consuetæ, eæ demum organorum corporis mutationes senescentibus propriæ. Eodem quoque numero proclivitas hæreditaria recensenda est, quoniam sedem fere habeat in similitudine quadam formæ gentili, velut capitis, colli, pectoris.

Bifariam quoque *excitantes causæ* se distribuunt; scilicet, quæ copiam sanguinis ad caput per arterias fluentis augent; quæque reducem per venas impedire vel imminuere tendunt.

Primis adnumerantur omnia fere quæ cordis ac arteriarum actionem accelerare valent, exercitatio vehemens, frigus, etiam calor ingens, affectus animi vehementes, præsertim ira, gaudium subitum; balneum frigidum, ebrietas, positus corporis capitisve propendens *, varia encephali vitia vel morbi, vermes vel quilibet viarum cibi insolitus status, qualis consensu, sive nervoso sive mechanico, sanguinem copiosius ad caput dirigere

---

* Fateor tamen rem magis probabilem quam confirmatum. Vide FALCONER, p. 217.

valeat. Quin ventriculi ipsius distentio aortam premit, ac sanguinem eodem repellit.

Apud secundas repono positum corporis procumbentem, ligaturas circa collum, caput inter somnum dependens, vel collo flexo, compressionem venarum cervicis, ob subitam corporis rotationem*, inspirationem vel expirationem protractam, varios pulmonum affectus, vapores noxios, affectus animi deprimentes. Cum vaporibus noxiis recensenda sunt varia metalla, ut plumbum, cuprum, antimonium, arsenicum, hydrargyrum. Frigus diu adhibitum, incertæ classis est†.

Quod ad *causam proximam*, seu *theoriam* paralysis, difficultates haud mediocres viam impedire videntur; sed longe maxima pars phænomenorum, per *cerebri pressionem*, quæ in plerisque exemplis necessario adest, facile explicatur; nec medici est, ni fallor, talem theoriam rejicere, quia subinde res occurrent quas parum explanet; nisi quidem theoriæ hæ plane repugnent. Aliud enim est obscurum vel non conspicuum nexum habere, aliud repugnare. Quærentium enim industria plerumque incongruentias rerum diluit;

---

* Fothergill. † Abercrombie.

repugnantes vero nunquam. Qui plura velint, adeant auctores laudatos, præsertim Abercrombie, *Ed. Med. & Surg. Jour.* xiv. et xv. passim.

DE SIGNORUM RATIONE.

Pressionem cerebri, omnia signa paralysis germanæ generare et posse, et solere, nemo non novit. De rei ratione inquirere supersedeo, rem ad notam naturæ legem retulisse contentus. Clarissimi viri Le Gallois et Wilson Philip mutuo labore monstrarunt, cordis ac arteriarum motiones a cerebro non pendere, attamen multum inde affici; unde facilius diminutum calorem et nutritionem partis resolutæ intelligere poterimus. Sensus autem motusque interceptio, facultates et indolem nervosi generis compertas haberi postulat. Minora omitto.

Observationibus viri perquam seduli Doctoris Yellowly * constat, nonnisi quinto quoque exemplo, pressionem ac injuriam eandem corporis tenere partem; ac dextram quam sinistram magis plecti; atque Abercrombius ostendit,

* Vide Med. Chirurg. Trans.

effusionem sæpe ambas simul partes cerebri obtinere. His rite perpensis, decussationis *plani medii* perdifficile fit rationem reddere; quoniam si cum vulgo medicorum fibras commissurarum cerebri accusemus, casus quibus idem latus affectum fuit plane repugnare videntur; potest tamen aliquid subesse; ut *fibrarum replicatio in ipsis commissurarum raphis,* qua mira hæc paralysis varietas tandem explanari queat. Hic vero, nam fateor, anatomia parum arridet.

DE DIAGNOSI.

Paralysis ab Apoplexia, et fere aliis omnibus morbis, altero latere capto, distinguitur. Eadem quoque nota a Chorea satis discernit; nam ibi unum latus quidem debilitatur, sed motibus una ridiculis agitatur, quales nunquam in paralysi sincera occurrunt.

DE PROGNOSI.

Præsagia de paralysi semper magna cum cautione ferenda sunt, et raro bene ominantur periti medici in hoc malo. Juvenibus tamen et robustis,

nec unquam antea affectis, paulo faustior sit prædictio, attamen cautissima. Quo leviora signa eo lætior prognosis; sed hic quoque limites sunt, et levissimi affectus sæpe per longam vitam durare videntur. Ne post ictum quidem conversione morbi ad melius fidendum est; quoniam hujus morbi sit, medio quasi ad sanitatem progressu, subito ac sine causa manifesta subsistere. Membri laborantis perspiratio et frigus, mala; dolores ac convulsiones, rheumatismus quasi in articulis, faustiora.

DE CURATIONE.

Primum consilium est cerebri compressionem tollere, ideoque morbi causam et signa submovere. Secundum primo suppetias fert, atque partibus torpentibus vigorem suum restituere conatur. Tertium malorum reditum cavet, ideoque prophylacticum est.

Venæsectio, liberalis alvi purgatio, sudoris incitatio, absque tamen stimulatione magna, principes erunt viæ ad santitatem reducem, causamque tollendam.

Sed sanguinis missio modica esse debet, quo-

niam in hoc morbo signa plethoræ sæpe satis ambigua extant, æger debilis. Alvi exinanitio tamen liberrima instituitur, quippe quia resolutis hæc fere torpeat; atque ad morbum sanandum apprime conferat dejectio ejus copiosa.

De emeticis, ut ambiguis remediis, silendum puto. Sudorificis tam extrinsecus quam intrinsecus pugnandum esse multi putant, calore ad membrum admoto; sed hunc magis nocere quam prodesse alii scribunt*.

Ad secundum consilium, postquam signa nimii fluxus sanguinis ad caput sedata fuerint, erit animadvertendum. Multa extant exempla, quibus æger subito, imo momento fere restitutus est; atque in iis actio aliqua stimulans tunc forte operabatur †. Hinc necessario sequitur, curam paralysis, ubi periculum supra dictum abiit, stimulantibus esse conandam; scilicet ut naturam imitemur. Extrinsecus admota sunt balneum calidum, sed melius forte balneum vaporarium ‡, plumæ titillatio, urticatio, frictio vel cum vel sine

* Falconer, p. 218.

† Abercrombie, xv. 31.

‡ Scott, Appendix passim.

stimulantibus, electricitas, galvanismus. Intrinsecus data sunt sinapis, ammonia, camphor, rhus toxicodendron, rhododendron chrysanthemum, nux vomica, hydrargyrum ad salivæ profluvium liberum.

Interea loci, in hoc desperando malo, ne ad apoplexiam stimulantia convertent, victu tenui corpus erit præparandum; etiam missio sanguinis prius sit necessaria. Doctor CHEYNE, Eblanæ *, pulverem Jacobi antimonialem laudat, et ABERCROMBIUS somni abbreviationem, hunc ad finem.

---

* Dublin Hospital Reports, i. 315.

DIXI.